

Quid autem sit Accidens, non tam facile definitione quam exemplis explicari potest. Cogitemus igitur corpus spatium aliquod occupare sive cum eo coextendi : coextensio illa non est ipsum corpus coextensum. Similiter cogitemus corpus idem transferri : illa translatio non est ipsum corpus translatum. Vel cogitemus corpus illud non transferri : illa non translatio seu quies non est corpus ipsum quiescens. Quid ergo sunt ? Sunt corporis accidentia. Sed hoc ipsum quaerimus, *quid sit Accidens*. In quo quidem quod intelligimus, quaerimus, quid quaerendum erat, non quaerimus. Quis enim est, qui dicentem aliquid extendi vel moveri vel non moveri, non semper et eodem modo intelligit ? Volunt tamen plerique dici sibi *Accidens esse aliquid*, scilicet partem aliquam rerum naturalium, cum revera pars earum non sit. His ut satisfiat, optime, quantum fieri potest, respondent illi, qui accidens definiunt esse *modum corporis, juxta quem concipitur*¹ ; quod est idem ac si dicerent *Accidens esse facultatem corporis, qua sui conceptum nobis imprimit*. Qua definitione etsi non respondeatur ad id quod quaeritur, respondetur tamen ad id quod quaerendum erat, nimirum *Unde accidit, quod corporis una pars hinc, altera illinc appareat* ? Sic enim recte respondebitur : *Propter extensionem*. Vel *Unde accidit, quod totum corpus continuo modo hinc, modo illinc conspicitur* ? Et respondebitur : *Propter motum*. Vel denique *Unde accidit, ut idem spatium tempore aliquo occupari videatur* ?, ut respondeatur : *Propterea quod non est motum*. Nam si de nomine corporis, id est, de nomine concreto interrogatur : *quid est* ?, per definitionem respondendum est ; quaeritur enim vocis significatio tantum. Verum si de nomine abstracto quaeratur : *quid est* ?, quaeritur causa, quare aliquid hoc vel illo modo apparet. Ut si quaeritur, *quid sit durum*, respondebitur : *Durum est, cujus pars non cedit nisi cedente toto* ; at si quaeratur, *durities quid sit*, ostendenda est causa, quare nisi cedente toto pars non cedit. Definiemus igitur *Accidens esse concipiendi corporis modum*.

¹ Francisco Suarez, *Disputationes Metaphysicae*, Disputatio XXXII, I, 26.